



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

LXXXV. Das Kloster Arendsee bekundet die Stiftung der Gedächtnißfeier
des Priesters Rudolph Hennemann zu Seehausen, am 15. Juli 1350.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

et inuolabiliter seruentur, Damas super hoc nostras patentes litteras sigillorum nostrorum appensionibus firmiter roboratas. Et nos henninghus et Boldewinus fratres, necnon Johannes et buffo, singuli dicti de Chartow, et Hinricus dictus Rossov in testimonium omnium premissorum Sigilla nostra a nobis presentibus sunt appensa. Testes vero huius rei sunt Meynardus prepositus tunc temporis in Arnse, Dominus Nycholaus de Rossov, Gherardus winterueld, sacerdos, Nycholaus plebanus in hilghenuelde et Johannes plebanus in maleftorp et gherardus Crughen laycus et alii quam plures fide digni. Datum Chartow, Anno dominice incarnationis M^o. CCC^o. XLIX^o., in die beati seruacii episcopi et confessoris.

LXXXV. Das Kloster Arendsee befundet die Stiftung der Gedächtnißfeier des Priesters Rudolph Hennemann zu Seehausen, am 15. Juli 1350.

Nos Johannes prepositus, Jutta Priorissa totusque Conuentus sanctimonialium Monasterii sancte Marie virginis in Arnse ad noticiam tam presentium quam futurorum deducimus per presentes, Quod pie memorie vir discretus dominus Rodolphus henneman, Sacerdos in zehusen, Dum pro salute anime sue in vltima voluntate sua suum conderet testamentum, vt dies obitus sui in nostro Conuentu memorialis missis et vigiliis Annis Singulis haberetur, nobis octo marcas Argenti Brandenburgensis legauit propter deum ad comparandum perpetuos Redditus cum eisdem et distribuendum personis singulis intra claustrum. Quapropter ad hoc implendum recepta per nos predicta pecunia et in communem vsum nostrum conuersa In propria nostra curia in Vylebom, Vnanimi consensu dimisimus ac presentibus dimittimus Vnum talentum brandenburgensium denariorum per singulos annos perpetuo per nostrum in dicta curia villicum seu colonum in festo martini in manus Priorisse personaliter presentandum. Cuius tamen pecunie dimidietatem heylewigis nobiscum professa soror prenotati quondam domini Rodolphi ad vite sue tempora sue prebende recipiet ad augmentum. Alia autem dimidietas personis singulis intra conuentum, vt predictur diuidetur. Postquam autem dicta heylewigis viam vniuerse carnis ingressa fuerit, predictum talentum de prefata nostra curia, vt premititur, exsoluendum conuentui nostro integraliter distribuendum perpetuis temporibus permanebit. Dies igitur obitus domini Rodolphi sepedicti vigiliis missis, commendacionibus ac aliis peractionibus in Conuentu nostro consuetis Annuerfarius pro remedio anime ipsius perpetuis temporibus peragetur. Vt autem premissa a nobis et posteris nostris inuolabiliter obseruentur, Presentem litteram super hiis confectam sigillorum nostrorum appensionibus fecimus communiri in euidenciam et testimonium eorundem. Testes eciam huius rei sunt Discreti viri domini Gherardus de Winteruelde, perpetuus in ecclesia nostra vicarius, Henricus mowe ac Johannes plebanus in Malstorp, nostre curie cappellani, ac henricus in nelinghe, necnon henricus in Crughe, ecclesiarum Rectores, ac quam plures alii fide digni. Datum Anno domini M^o. CCC^o. quinquagesimo, in festo diuisionis apostolorum.